

Anhang II/2 und 8

In festo Sanctae Mariae Magdalena. Ad Vesperas.

1. Pater superni luminis,
Cum Magdalenam respicis,
Flammas amoris excitas,
Geluque solvis pectoris.

2. Amore currit saucia
Pedes beatos ungere,
Lavare fletu, tergere
Comis, et ore lambere.

3. Adstare non timet cruci,
Sepulchro inhaeret anxia,
Truces nec horret milites,
Pellit timorem charitas.

4. O vera, Christe, charitas,
Tu nostra purga crimina,
Tu corda reple gratia,
Tu redde caeli praemia.

5. Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio,
Cum Spiritu paraclito,
Et nunc et in perpetuum. Amen.